



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De periurio. Quæstio 98.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

in posterum pro illo peccato grauior pœna referu-
batur. Dicitur enim Exod. 32. Ego autem in die
vltionis visitabo hoc peccatum eorum.

Ad secundum dicendum, quòd superstirio habet si-
militudinem cum religione, quantum ad materialem
actum, quem exhibet, sicut religio; sed quantum
ad finem, plus contrariatur ei, quàm tentatio Dei;
quia plus pertinet ad diuinam irreuerentiam, vt di-
ctum * est.

*in corpo-
re arti.*

Ad tertium dicendum, quòd de ratione diuinæ ex-
cellentie est, quòd sit singularis & incommunicabilis.
Et idè idem est contra diuinam reuerentiam agere
aliquid, & diuinam reuerentiam alteri communicare.
Non est autem similis ratio de honore parentum, qui
potest, sine culpa, alijs communicari.

QVÆST. XCVIII.

De periurio, in quatuor articulos diuisa.

D E inde considerandum est de periurio. Et circa
hoc quaruntur quatuor.

- ¶ Primo, vtrum falsitas requiratur ad periurium?
- ¶ Secundo, vtrum periurium semper sit peccatum?
- ¶ Tertio, vtrum semper sit peccatum mortale?
- ¶ Quarto, vtrum peccet ille qui iniungit iuramen-
tum periuro?

ARTIC. I.

*Vtrum falsitas eius quod in iuramento confirmatur,
requiratur ad periurium?*

521
*inf. 9. 12.
a. 3. ad 3.
et 3. def.
12. a. 4.
* q. 89. a.
3. c. 1. de
crim. fal-
si.*

A D primum sic proceditur. Videtur, quòd falsitas
eius quod in iuramento confirmatur, non requi-
tatur ad periurium. Vt enim supra dictum *, sicut
veritas debet concomitari iuramentum, ita etiam
iudicium, & iustitia. Sicut ergo incurritur periurium
per defectum veritatis: ita etiam per defectum
iudicii, puta, cum aliquis indiseretè iurat; & per
defectum iustitie, puta cum aliquis iurat aliquid il-
licitum.

¶ 2. Præterea, Illud per quod aliquid confirmatur,
potius esse videtur eo, quod confirmatur per illud,
sicut

sicut in syllogismo principia sunt potiora conclusio-
ne. Sed in iuramento confirmatur dictū hominis per
assumptionem diuini nominis. Ergo magis videtur
esse periurium, cum aliquis iurat per falsos deos,
quam si veritas desit dicto hominis, quod iuramento
confirmatur.

¶ 3 Præterea, Aug. dicit * in serm. de verb. Apost. *in ser. 28*
Iacobi, Homines falsum iurant, vel cū fallunt, vel cum *non vemo*
fallunt. Et ponit tria exēpla: quorū primū est, Fac il- *idē a prin.*
lum iurare qui verū putat esse, pro quo iurat; & ta- *to. 10.*
men falsum est. Secundum est, Da alium qui scit falsū
esse & iurat, tamquā verum sit. Tertium est, Da alium
qui putat esse falsum & iurat, tamquam sit verum: quod
fortē verum est: de quo postea subdit, quōd periurus
est. Ergo aliquis veritatē iurans, potest esse periurus.
Non ergo falsitas requiritur ad periurium.

SED contra est, quōd periurium diffinitur esse
mendacium iuramento firmatum.

RESPONDEO dicendum, quōd sicut supra di-
ctum * est, Morales actus ex fine speciem sortiuntur. *q. 92. a. 2*
Finis autem iuramenti, est confirmatio dicti humani, *et 12. q. 1*
cui quidem confirmationi falsitas opponitur. Per hoc *a. 3. et q.*
enim confirmatur aliquod dictum, quōd ostenditur fir- *18. a. 6.*
miter esse verum: quod quidem non potest contingere
de eo, quod falsū est. Vnde falsitas directē euacuat
finem iuramenti. Et propter hoc à falsitate præcipuē
specificatur peruersitas iuramenti, quæ periurium
dicitur: Et ideō falsitas est de ratione periurij.

Ad primū ergo dicendum, quōd sicut Hieron. * dicit *Et iura-*
Hier. 4. Quodcumque illorum trium defuerit, periu- *bis, dicit*
rium est, non tamen eodem ordine. Sed primo quidē *Dominus*
& principaliter, periurium est, quando deest veritas, *to. 5.*
ratione iam ¶ dicta. Secundario autem, quando deest *in corpo-*
iustitia. Quocumque enim modo quis iurat illicitum, *re art.*
ex hoc ipso falsitatem incurrit: quia obligatus est ad
hoc quōd contrariū faciat. Tertio verō, quando deest
iudicium; quia cum indiscretē iurat, ex hoc ipso, pe-
riculo se committit falsitatem incurrendi.

Ad se-

li. 2. tom. 89 to. 2. Ad secundum dicendum, quod principia in syllogismis sunt potiora, tamquam habentia rationem actiui principij: ut dicitur in * secundo Physicorum. Sed in moralibus actibus principalior est finis, quam principium actuum. Et ideo licet sit peruersum iuramentum, quando aliquis verum iurat per falsos deos; tamen ab illa peruersitate iuramenti periurium non nominatur: quod tollit iuramenti finem, falsum iurando.

Ad tertium dicendum, quod actus morales procedunt à voluntate: cuius obiectum est bonum apprehensum. Et ideo si falsum apprehendatur ut verum, erit quidem relatum ad voluntatem, materialiter quidem falsum, formaliter autem verum. Si autem id quod est falsum, accipiatur ut falsum, erit falsum & materialiter & formaliter. Si autem id quod est verum, apprehendatur ut falsum, erit verum materialiter & falsum formaliter. Et ideo in quolibet istorum casuum saluatur aliquo modo ratio periurij, propter aliquem falsitatis modum. Sed quia in vnoquoque potius est id quod est formale, quam id quod est materiale: non ita est periurus ille qui falsum iurat, quod putat esse verum, sicut ille qui verum iurat, quia ream linguam non facit nisi rea mens.

in ser. 28.
de verbis
Apost.
ut qui in-
sulem à
pr. n. 10. 2
522
c. 1 de cri-
mine fal-
s.

ARTIC. II.

Utrum omne periurium sit peccatum?

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod non omne periurium sit peccatum. Quicumque enim non implet quod iuramento confirmauit, periurus esse videtur. Sed quandoque aliquis iurat se facturum aliquid illicitum, puta adulterium vel homicidium: quod si faciat, peccat. Si ergo etiam non faciendò peccaret peccato periurij, sequeretur quod esset perplexus.

¶ 2 Præterea, Nullus peccat faciendò quod melius est. Sed quandoque aliquis periurando facit quod melius

melius est : sicut cum quis iuravit se non intraturum religionem, vel quæcumque opera virtuosa non facturum. Ergo non omne periurium est peccatum.

¶ 3 Præterea, Ille qui iurat facere alterius voluntatem, nisi eam faciat, videtur incurere periurium. Sed quandoque potest contingere quod non peccet, si eius non impleat voluntatem: puta cum præcipit ei aliquid nimis durum & importabile. Ergo videtur, quod non omne periurium sit peccatum.

¶ 4 Præterea, Iuramentum promissorium se extendit ad futura, sicut assertorium ad præterita & præsentia. Sed potest contingere quod tollatur obligatio iuramenti per aliquid quod in futurum emergat: sicut cum aliqua civitas iurat se aliquid servaturam; & postea superveniunt novi ciues, qui illud non iuraverunt: vel cum canonicus aliquis iurat statuta Ecclesie alicuius se servaturum; & postmodum aliqua fiunt de nouo. Ergo videtur, quod iste qui transgreditur iuramentum, non peccet.

SED contra est, quod August. * dicit in sermone de verbis Apostoli iacobi, de periurio loquens, Videtis quam ista detestanda sit belua, & de rebus humanis exterminanda.

ser. 28. cap. 30. non remot à princ. 10. q. 89. a. 1

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est, iurare est Deum testem inuocare. Pertinet autem ad Dei irreuerentiam, quod aliquis eum testem inuocet falsitatis: quia per hoc dat intelligere, vel quod Deus veritatem non cognoscat, vel quod falsitatem testificari velit. Et ideo periurium manifestè est peccatum religioni cõrarium, cuius est Deo reuerentiam exhibere.

Ad primum ergo dicendum, quod ille qui iurat se facturum aliquid illicitum, iurando incurrit periurium propter defectum iustitiæ. Sed si non impleat quod iuravit, in hoc periurium non incurrit: quia hoc non erat tale quid, quod sub iuramento cadere posset.

Ad secundum dicendum, quod ille qui iurat se non intraturum religionem, vel non daturum elec-

Sec. Sec. Vol. ij. H h 119.

mosynam, vel aliquid huiusmodi: iurando, periurium incurrit, propter defectum iudicij. Et idem quando facit id quod melius est, non est periurium, sed periurio contrarium. Contrarium enim eius quod facit, sub iuramento cadere non poterat.

Ad tertium dicendum, quod cum aliquis iurat vel promittit se facturum voluntatem alterius, intelligenda est debita conditio: si scilicet id quod ei mandatur, licitum sit & honestum, & portabile siue moderatum.

Ad quartum dicendum, quod quia iuramentum est actio personalis, ille qui de nouo fit ciuis alicuius ciuitatis, non obligatur quasi iuramento ad seruanda illa quæ ciuitas se seruaturam iurauit. Tamen tenetur ex quadam fidelitate, ex qua obligatur: vt sicut fit, socius bonorum ciuitatis, ita etiã fiat particeps onerum. Canonicus verò qui iurat se seruaturum statuta edita in aliquo collegio, non tenetur ex iuramento ad seruandum futura, nisi intenderit se obligare ad omnia statuta præterita & futura. Tenetur tamen ea seruire ex ipsa vi statutorum quæ habent coactiuam virtutem: vt ex supradictis * patet.

ARTIC. III.

Vtrum omne periurium sit peccatum mortale?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod non. **A**d omne periurium sit peccatum mortale. Dicitur enim * extra, de iureiuran. in ea quæst. quæ ponitur, An à sacramenti vinculo absoluantur, qui illud inuiti pro vita & rebus seruandis fecerunt? Nihil aliud arbitramur quàm quod antecessores nostri Romani Pontifices arbitrati fuisse noscuntur: qui tales à iuramenti nexibus absoluerunt. Caterum vt agatur consultius, & auferatur materia deierandi, non eis ita expresse dicatur, vt iuramenta non seruent. Sed si ea non attenderit, non ob hoc sunt tamquam pro mortali crimine puniendi. Non ergo omne periurium est peccatum mortale.

¶ **A**d præterea, sicut Chrysostronus * dicit, Maius est

1.2.9.96
a.4. præ-
cipue.

523
sup.9.70.
a.4.0.
3. dis. 19.
ar. 9.9.1.
* in decr.
li. 2. si. 24
a. 15.

refertur
22 q. 1 c.
si aliqua
causa.

est iurare per Deum, quàm per Euangelium. Sed non
semper peccat mortaliter, qui per Deum iurat aliquid
falsum: puta si ex ioco, vel lapsu linguæ aliquis tali
iuramento in communi sermone utatur. Ergo nec
etiam si aliquis frangat iuramentum quod solem-
niter per Euangelium iurat, semper erit peccatum
mortale.

¶ 3 Præterea, Secundum iura, propter periurium
aliquis incurrit infamiam: ut habetur * 6. quæstione *cap. infam-*
prima, capit. Infames. Non autem videtur, quòd pro- *mes.*
pter quodlibet periurium aliquis infamiam incurrat:
sicut dicitur de assertorio iuramento violato per per-
iurium. Ergo videtur, quòd non omne periurium sit
peccatum mortale.

SED contra, Omne peccatum quod contrariatur
præcepto diuino, est peccatum mortale. Sed periur-
ium contrariatur præcepto diuino. Dicitur enim Le-
uit. 19. Non periurabis in nomine meo Ergo est pec-
catum mortale.

RESPONDEO dicendum, quòd secundum* doctri- *li 1. Polit.*
nam Philosophi, propter quod vnumquodque tale, il- *text. 5. nò*
lud magis. Videmus autem quòd ea quæ ex se sunt pec- *mulin a.*
cata venialia, vel etiam bona ex genere, si in contemp- *fin. 10. 1.*
tum Dei fiant, sunt peccata mortalia. Vnde multo ma-
gis quicquid est, quod de sui ratione pertinet ad con-
temptum Dei, est peccatum mortale. Periurium autem
de sui ratione importat contemptum Dei. Ex hoc enim
habet rationem culpæ, ut dictum* est: quia ad irreue- *ars. prat*
rentiam Dei pertinet. Vnde manifestum est quòd per-
iurium, ex sui ratione, est peccatum mortale.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut supra di-
ctum* est, coactio non aufert iuramento promissorio *q. 89. a. 7.*
vim obligandi, respectu eius, quod licitè fieri potest. *ad 3.*
Et ideo si aliquis non impleat quod coactus iurauit,
nihilominus periurium incurrit, & mortaliter pec-
cat. Potest tamen per auctoritatem summi Pontifi-
cis ab obligatione iuramenti absolui; præsertim si co-
actus fuerit tali metu, qui cadere posset in constan-

tem virum. Quod autem dicitur quod tales non sunt puniendi tamquam pro mortali crimine, non hoc ideo dicitur, quia non peccent mortaliter: sed quia poena eis minor infligitur.

Ad secundum dicendum, quod ille qui iocose periurat, non euitat diuinam irreuerentiam: sed quantum ad aliquid magis auget. Et ideo non excusatur à peccato mortali. Ille autem qui ex lapsu lingue falsum iurat, si quidem aduertat se iurare, & falsum esse quod iurat, non excusatur à peccato mortali, sicut nec à Dei contemptu: si autem hoc non aduertat, non videtur habere intentionem iurandi: & ideo à crimine periurij excusatur. Est ergo grauius peccatum, si quis solemniter iuret per euangelium, quam si per Deum in communi sermone iuret: tum propter scandalum, tum propter maiorem deliberationem. Quibus æqualiter hinc inde pensatis, grauius est si quis per Deum iurans periuret, quam si periuret iurans per euangelium.

Ad tertium dicendum, quod non propter quodlibet peccatum mortale aliquis infamis efficitur ipso iure. Vnde non sequitur, si ille, qui iurat falsum iuramento assertorio, non est infamis ipso iure, sed solum per sententiam diffinitiuam latam contra eum in accusatione: quod propter hoc non peccet mortaliter. Ideo autem magis reputatur infamis ipso iure, qui frangit iuramentum promissorium solemniter factum: quia in eius potestate remanet, postquam iurauit, ut det suo iuramento veritatem: quod non contingit in iuramento assertorio.

ARTIC. IV.

Vtrum peccet ille, qui iniungit iuramentum ei qui periurat?

§ 24.
3. d. 39. a.
5. q. 2.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod ille peccet, qui iniungit iuramentum ei qui periurat. Aut enim scit eum verum iurare, aut falsum. Si scit eum verum iurare, pro nihilo ei iuramentum iniungit: si autem credit eum falsum iurare, quantum

tum est de se, inducit eum ad peccandum. Ergo videtur, quod nullo modo debeat quis alicui iuramentum iniungere.

¶ 2 Præterea, Minus est accipere iuramentum ab aliquo, quam iuramentum iniungere alicui. Sed recipere iuramentum ab aliquo, non videtur esse licitum, & præcipue si periuret: quia in hoc videtur consentire peccato, Ergo videtur, quod multo minus liceat exigere iuramentum ab eo qui periurat.

¶ 3 Præterea, Dicitur Leuitici quinto, Si peccauerit anima, & audierit vocem iurantem falsum, & testis que fuerit, quod aut ipse vidit aut conscius est: nisi iudicauerit, portabit iniquitatem suam. Ex quo videtur quod aliquis sciens aliquem iurare falsum, teneatur eum accusare. Non igitur licet ab eo exigere iuramentum.

SED contra, Sicut peccat ille qui falsum iurat, ita ille qui per falsos deos iurat. Sed licet uti iuramento eius, qui per falsos deos iurat, ut Augustinus* dicit ad Publicolam. Ergo licet iuramentum exigere ab eo qui falsum iurat.

RESPONDEO dicendum, quod circa eum qui exigit ab alio iuramentum, distinguendum videtur. Aut enim exigit iuramentum pro seipso propria sponte, aut exigit iuramentum pro alio, ex necessitate officij sibi commissi. Et si quidem aliquis pro seipso exigit iuramentum tamquam persona priuata, distinguendum videtur, ut * Aug. dicit in sermone de periurijs. Si enim nescit eum iuraturum falsum, & ideo dicit, iura mihi, ut fides ei fiat, non est peccatum. Tamen est humana retractio: quia scilicet procedit ex quadam infirmitate, qua homo dubitat alium esse verum dicentem. Et hoc est illud malum, de quo Dominus dicit Matth. 5. Quod amplius est, a malo est. Si autem scit eum fecisse, scilicet contrarium eius quod iurat, & cogit eum iurare, homicida est. Ille enim de suo periurio se interimat: sed iste manum interficientis impressit. Si autem aliquis exigat iuramentum tamquam persona publica, secundum quod exigit ordo iuris, ad petitionem alterius, non videtur

*epif. 119.
no long
a prin
to. 2.*

*ser. 28 de
ver. sp.
in v. l. col.
to. 10.*

esse in culpa, si ipse iuramentum exigat, siue sciat eum falsum iurare, siue verum: quia non videtur ille exigere, sed ille ad cuius instantiam exigit.

Ad primum ergo dicendum, quod obiectio illa procedit, quando pro se aliquis exigat iuramentum: & tamen non semper scit eum iurare verum vel falsum, sed quandoque dubitat de facto, & credit eum verum iuraturum: & tunc ad maiorem certitudinem exigat iuramentum.

Ad secundum dicendum, quod sicut * Augustinus dicit ad Publicolam, Quamuis dictum sit, ne iuremus; numquam tamen me in Scripturis sanctis legisse memini, ne ab aliquo iurationem accipiamus. Unde ille qui iurationem recipit, non peccat, nisi forte quando propria sponte ad iurandum cogit eum, quem scit falsum iuraturum.

Ad tertium dicendum, quod sicut * Augustinus dicit, Moyses non expressit in prædicta auctoritate, cui sit indicandum periurium alterius. Et ideo intelligitur quod debeat indicari talibus, qui magis possunt prodesse quam obesse periuro. Similiter etiam non expressit, quo ordine debeat manifestari. Et ideo videtur seruandus ordo euangelicus, si sit peccatum periurij occultum. Et præcipue quando non haberet locum ordo euangelicus, ut supra * dictum est.

Ad quartum dicendum, quod licet malo uti propter bonum, sicut & Deus vitur: non tamen licet aliquem ad malum inducere. Unde licet eius qui per falsos deos iurare paratus est, iuramentum recipere: non tamen licet eum inducere ad hoc quod per falsos deos iuret. Alia tamen ratio videtur esse in eo qui per verum Deum, falsum iurat: quia in tali iuramento deest bonum fidei, qua vitur aliquis in iuramento illius, qui verum per falsos deos iurat. Unde August. * dicit ad Publicolam, Unde in iuramento eius qui falsum per verum Deum iurat, non videtur esse aliquid bonum, quo uti liceat.

QVÆ-